

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 959

1153

D O G M A T I C I.

1154

praescriptum: Hunc librum dedit Dominus iohannes hannahaupt de Harazz ad Maerbach. Qui legis in eo ora pro eo. Et subscriptum: Explicit Hugo de sacramentis de sancto vidore finitus per Johannem de Harazz Monachum huius domus videlicet vallem omnium sanctorum. Abolita nunc est haec Carthusia Viennae adsita. Nomen Harras pluribus infer. Austriae locis commune est; non enim Johannes iste e vetusta Hrzaniorum de Harras Stirpe fuerit. Ad calcem adjecta sunt eadem de Hugonis Vita, quae superiore Codice.

CCCCLXVI.

R. 3041 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior 395. f. per duas columnas minutius sed nitidissime scriptus, minio distinctus, et principio deauratus haec praefert: *Hunc librum dedit monasterio Sancte dorthee wien. dominus Andreas Cancellarius domus Austriae fundator prefati monasterij Canonicorum regularium sancti Augustini. Itaque post annum 1410. quo dictus Andreas cognomine Plank, simul Garvensis Parochus ejus Canoniae fundamenta jecit. Inest vero huic Libro I. Hugonis de S. Vidore Opus de Sacramentis jam pluries a me relatum, et impressum T. III. Opp. Rotomag. 1648. p. 482. f.*

II. fol. 126. succedit Liber sancti Augustini contra quinque Hereses. Initium est: Debitor sum fratres fateor non necessitate &c. Dictus etiam contra quinque Ho-

stium Genera, et ab Augustino abdicatus legitur nunc in Adpend. T. VIII. Edit. Maur. p. 1.

III. fol. 137. sequuntur CLXXX. Augustini Epistolae, sed in iis est subpositum Ejus cum Bonifacio commercium constans Epistolis XVI. et Epistola ad Licentium edit. Maur. T. II. col. 38. hic in III. divisa est. Praeterea Epistola nobis XI. ad Italiam inscribitur; est vero nihil aliud, quam Compendium prolixae Epist. seu Libri ad Paulinam de videndo Deo, ad quem notant Mauriani col. 495. etiam sibi Compendium istud in Mss. occurrisse. Epistola nobis XXXII. Maur. col. 42. ad Paulinum a Miniatore perperam et Theriae inscripta est. Epistola nobis CLXXVI. Maur. col. 853. ad Pascentium idem Librum inscripsit. Ceterum Patrum Epistolas in Codicibus nullo ordine vagantes cum Editis contendere, non parum habet molestiae.

IV. fol. 309. Ejusdem Libri IV. de Doctrina Christiana praevio loco e Retractionibus, prout extant Edit. cit. T. III. P. 1. col. 1.

V. fol. 342. Epistola seu Liber Ejusdem ad Dardanum de Praesentia Dei, ut T. II. col. 678.

VI. fol. 345 — 46. Excerpta II. ex Ejusd. Tractatibus de Oratione Dom. et de Eleemosyna.

VII. fol. 347. Epistola prolixa illa, cuius supra memini, ad Paulinam de videndo Deo, ut Edit. cit. T. II. col. 473.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 959

1155

I C O D I C E S

1156

de VIII. fol. 354—55. *Prosperi, tum Hilarii Epistola ad Augustinum*, ut T. eod. coll. 820. et 825. Atque hae duae cum mox relatis ad *Dardanum* et *Paulinam* aliquatenus subplere possunt spurias in *Corpo Epistolarum* supra memoratas.

IX. fol. 357. Ejusdem *Augustini Opus de Praedestinatione et Perseverantia Sanctorum*, ut T. X. col. 789. Extrema a verbis: *Et orare deum gratie spiritualis est, sicut scriptum est. Nemo dicit dominus iesus &c. ab alia manu accessere.*

X. fol. 377. p. 2. *Sermo beati augustini ad presbiteros ypponen-ses*, qui omisso *Propter quod* incipit: *Rogau uos besterna die &c.* ut T. V. col. 1379.

XI. fol. 381. *De ecclesiasticis Dogmatibus*. Praevio Indice. Jam saepius relatus et merito in *Append. T. VIII. col. 71.* relegatus *Tractatus.*

XII. fol. 384. *Incipit liber augustini de bono coniugali praemisso Retractionum loco*, quem Miniator lepide *Detractionem Augustini* inscripsit. Extat Edit. cit. T. VI. col. 319. Multa hujus Collectionis Titulis a prima manu carent. Ad calcem accedit duplex *Tabula*, prior Epistolarum, altera Rerum.

CCCCLXVII.

U. 714 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 118.f. per duas columnas nitide, sed multis vocum compendiis exaratus, coloribus di-

stinetus, et olim datus ad librariam Collegij ducalis ex parte *Erbardi quondam bedelli theologorum Opus Dogmaticum* est, cuius Prooemium incipit: *In deserto manna colligentes alius integrum. gomor alius plus alius minus &c.* Quinque *Partitiones* promittit Author *ανωνυμος*: *In prima agendo de fide trinitatis. In secunda de casu rationalis creature. In tertia de reparatione que facta est per uirtutum restitutionem. In quarta de ea que semel facta est per incarnationem. In quinta de ea que cotidie fit per sacramentorum participationem.* Hujus autem operis (dixerat prius) tibi pater inclite *Wilelme presul senonensis* limam reseruauimus. Narrant Autores *Galliae Christ.* T. XII. p. 52. *Guilelmo* huic de Campania dicto aux blanches mains, antequam a. 1176. ad Sedem Remensem transferretur, a *Petro Comestori* dicatam fuisse celebrem suam *Historiam Scholasticam*, et *Librum de theologicis Sententiis*, ex quo facile quis induci posset, ut *Partitiones* nostras huic *Petro* tribueret, nisi omnium, qui de *Comestori* tradidere, silentium reclamaret. Et fortassis in ea sententia fuere praedicti Autores Codicem *ἀδεπτοτον* natati, qualis, modo saltem, noster est, postremis lineis deficientibus. Verum legenda erat illis Praefatio Sodalis sui *Hugonis Mathoud*, qui Opus nostrum *Petri* non *Comestoris*, sed *Piètaviensis* cum *Robertii Pulli Sententiis* primus in lucem extulit *Paris.* 1655. f. Ita ille ibi: *Quo se subtraheret aemulorum*